Ex Cedreno. Historico.

No 44.

Anno 2do Imperante Leone 1. --- Sub idem tempus Sol hora diei sexta ita defecit, ut stellae viderentur. Anno insequente Stephanus Imperatoris frater moritur Patriarcha in ejus locum creatur Antonius cognomento Cauleas. ---- deinde de Zautza musico narratio: post haec: ea de re apud Leonem queritur (Simeon) et cum victus in Zautzam favore Imperatoris magis hoc negotium haberet, neque ulla dignaretur cura imitatus, alioqvin occasionem pacis rumpendae honestam quaerens, arma adversus Romanos capit. Leo ubi hoc rescivit, ipse quoque ad bellum se parat, et Procopium Crenitam cui tunc munus ducendorum exercituum impositum erat, magnis cum copiis et ductoribus addito etiam ~~Curtilio~~ Curticio Armenio contra Bulgaros mittit. In Macedonia adversae acies concurrunt, victique Romani, et occisi sunt utrique hos Crenites etiam, ac Curticius. Quos de exercitu Romano coepit Simeon, eos ludibrij causa naribus mutilatos in urbem remisit. — Hac clade et contumelia Leo in summum animi dejectus dolorem Nicetam Patricium cognomento Sclerum (id est durum) per Istrum ad Turcos sive Ungros (~~mittit~~ Οὔγγρους) mittit, ab ijsque petit ut flumine trajecto Bulgariam pro virili infestent. Niceta cum Turcis congressus ijs ut arma in Bulgaros moverent, persuadet, obsidibusque acceptis ad Imperatorem redit. Nec non Imperator quoque bellum terra marique contra Bulgaros suscipit, classi Praefecto Eustathio Patricio, et Drungario, terrestribus copijs Nicephoro Phocae Patricio commissis, quem Andreae mortuo domesticum scholarum fecerat. Hic cum jam Bulgaris appropinquasset, Leo adhuc pacis cupidus Constantinacium Quaestorem ad Simeonem mittit, quem Barbarus dolose ad se Legatum putans in custodiam datum detinuit: Dum ad ~~exercitum~~ Phocae exercitum profligandum se parat Simeon, interim Turci fluvio transmisso, universam Bulgariam populantur; quod ubi annunciatum est Simeoni, omisso Phoca in Turcos contendit, qui et ipsi cum Bulgaris praelium committere cupidi, Istrum transeunt, eosque pugna congressos devincunt. Simeon aegre Dorostolum, quod est Drista nominatur fuga elapsus est. Turci Victoria potiti ab Imperatore petunt, ut Bulgaros à se captos emat. annuit Imperator Civesque suos emptum mittit. Simeon fractus per Drungarium Eustathium pacem ab Imperatore petit; is eam concedens, Leonem cognomine Choerosphactam (occisorem porci id significat) ad conditiones pacis dandas, accipiendasque mittit, Phocam Scholarum domesticum, et Drungarium cum copijs domum redire jubet. Simeon ad se venientem Choerosphacten ne alloqvio quidem dignatus in carcerem conjicit, inde magno cum exercitu in Turcos facta expeditione, cum ob subitam, insperatamque rem auxilia eis mittere Imperator non posset, in fugam eos pellit, eorumque regionem omnem depraedatur. eam ob victoriam ferociens ad Imperatorem scribit, se pacem non facturum, nisi receptis captivis Bulgaris. Fol.

Leo Grammaticus. Chronographia.

Sub Leone, ex Cedreno narrat, sed magis confuse

Quibus auditis mittit Imperator Crinitem militiae Praefectum cum armis et varijs Proceribus adversus Bulgaros, et frequentibus initis certaminibus per Romaniam vertuntur in fugam Romani ipso Crinite, et Cortice Armenio, caeterisque omnibus occisis: Ex Chazaris, qui auxiliares Leoni advenerant, comprehensi, naribusque praecisi in contemptum Romanos ad urbem à Simeone missi sunt. quos Imperator conspicatus, et accensus ira Ducem nomine Sclerum ad Danubij ripas cum celocibus misit munera Turcis oblaturum et ad arma contra Simeonem excitaturum, profectus ille, et auxilium nactus cum Arpade, et Cusane Turcorum ducibus foedere inito ad Imperatorem rediit. etc:

+

Zonaras prorsus eodem modo rem enarrat, ut Cedrenus, ut gesta haec à Cedreno descripsisse videatur Turcos, vocat Ungros, ut Cedrenus–

948
312
633 | 4

~~405~~
312
630 6

Eo quoque admittente Imperatore venit cum Chosroe Sithacta Theodorus quidam Simeonis familiaris, et Captivos omnes dimissos domum abduxit.

Et post non nulla:

Caeterum Imperator Simeonem, quod is paisificationem abnuerit prorsus debellandum, delendumque ratus evocatis orientalibus exercitibus ac Cohortibus, ad unatis etiam occidentalibus, aliaque haud exigua multitudine eos contra Bulgaros mittit Duce Catacalone, et comite huic addito Theodosio Patricio Protovestiario; Hi Simeoni obviam profecto occurrunt apud Bulgarophytum (Plantam Bulgaricam) et pugna commissa vincuntur magna suor. cum clade, ipso etiam Protovestiario turpiter amisso.

Ex Cedreno de Chazaris.

Anno decimo sexto (Heraclij) Chosroës novum conscribit exercitum de Peregrinis, civibus, et servis omnique homini sorte.. Ex his delectos Sajno ducendos tradat additis de Sarbari exercitu 1000 millibus, quos et Chrysoluchas nominat quasi aureum agmen eumque adversus Heraclium mittit; Sarbarum cum reliquis copijs ad Constantinopolim proficisci jubet, ut initis pactis cum Hunnis occidentalibus (qui et Avares nominantur) ac Sclavinis, et Gepidis, urbem obsidere atque oppugnare curet. His perceptis Heraclius in tres partes suum exercitum dividit; harum unam Urbi presidio mittit, alteram Theodoro fratre suo Duce adversus Sajnum rem gerere jubet ipse cum tertia Lazarum ditionem petit, Turcorumque orientalium (quos et Chazaros appellant) auxilia ambit; ...... et post non nulla:

Caeterum Chazari perruptis Caspijs portis in Persidem impressionem faciunt in Andreogam Regionem Duce Zebeelo, qui dignitate erat à Chagano proximus. gravemque eos impetus tulit Persas captivos abducunt, pagos, urbesque incendunt His Heraclius ex Lazis movens occurrit, estque cum suo exercitu peramicè et hilariter à Zebeelo salutatus, qui filium suum Belli Socium Imperatori relinquens, domum versus abijt. Imperator his auctus auxilijs in Chosroem contendit. ----

Anno decimo septimo. Hyeme in Persidem Heraclius cum Turcis ingressus improviso Chosroem perterruit. Sed Turci hyemem, ac crebras Persar. excursiones aegre ferentes, neque tollerandis aerumnis socios se Imperatori praebere sustinentes, paulatim ex castris dilabi, tandemque Universi desertis Romanis domum reverti coeperunt.

NB: Sed haec tota narratio de Turcis et Chazaris fabulosa videtur, nam multa inter se non cohaerent.. ita dicit: Hyeme in Persidem ingressum Heraclium, et causa hyemis Turcos abijsse, cum tamen paulo post narret Chosroem audita irruptione Heraclij in Persidem contracto exercitu ei occurrisse, et Mense octobri prior Regionem Camoitha ab Heraclio occupatam. , an Hiems ante octobrem? ~~an~~ -

Ex Cedreno.

pag. 370. Leo Copronymi ex Chazara filius Imperavit annos V.

pag. 415. Sub Theophylo:

Vere ineunte Agareni, et Theophilus ad bellum inter se gerendum facta expeditione alter altérius metu domum nulla re gesta redierunt. Rursus Theophilus legatos a Chagano Chazariae Regulo accepit, petente, ut Castellum cuj nomen Markel (Μάρκελ) inversa sigma condéretur. Ea enim videbatur valida fore munitio ad Patzinaca„rum incursiones prohibendas, quos versus Tanaim flumen arceret. horum postulatis acquiescens Theophylus Petronam quemdam misit, et quod isti petierant, confecit. Petronas reversus Imperatorem monuit non posse cum Chersonem tuto in sua potestate re„tinere, nisi eo peculiarem mittat Praefectum; nam ad id usque temporis nemo nostrorum eo missus fuerat sed indigena aliquis, nomine Primarij Civitatem gubernabat. Imperator approbato toto consilio ipsi Petronae Provinciam totam committit, mittitque cum eo cum mandatis ad primarium, reliquosque indigenas Graeces, Petronae eos dicto suo [illegible] „tione audientes esse jubentibus; ex eo obtinuit, ut Praefecti Chersonem mittantur

Post haec: Anno sequente ineunte vere renatum bellum cum Agarenis et c.

Pag. 351. Sub Tiberio Apsimaro, qui imperavit annis VII. ut ait Cedrenus:

Anno Tyberij Apsimari sexto. Azidas Chunei filius Ciliciae bellum infert, castrumque Sisium expugnatum evertit. Nunc Heraclius, et pugna congressus duodecim millia Arabum occidit. Interim Justinianus Chersone degens, cum se Imperium recepturum diceret, oppidani sibi ab Imperatore eo nomine metuentes, vel interficere illum, vel Imperatori mittere statuerunt; quo animadverso Justinianus fuga sibi consuluit, cumque Daras (Δάρας) pervenisset, Chagani Chazarorum Reguli congressum petijt. Is cum honorifice excepit, data in Matrimonium sorore sua Theodora, pauloque post persuasit, ut cum Theodora ~~Phanagoream~~ Phanagoream se conferret, ibique degeret; quod Apsimarus ut cognovit, misit ad Chaganum, qui magnis pollicitationibus ei persuaderet, ut vel vivum Justinianum, vel caput ejus sibi mitteret; assensit Chaganus, misitque custodes (ut simulabat) Justiniano, qui eum a popularibus suis tutum praestarent. mandaverat autem ijs, ut Justi„nianum, quo tempore id juberet, interficerent. Hoc cum famulus Chagani Theodorae aperuisset, Justinianus ab ea certior factus custodes a Chagano missos ad se vocat, atque interficit, statimque Theodoram in Chazariam remittit; ipse Phanagorea profugiens ad fauces, atque inde conscenso navigio ad Symbolum venit prope Chersonem, atque eo clam missis ministris Barbarium, et fratrem ejus, Stephanumque et Metropaulum ad se evocavit cum his praenavigans seculum Chersonem, Necropyla, et facta Danaprium, atque Danastrium evasit; orta autem tempestate, cum de salute sua omnes desperassent et... proinde ingressus Danubium Stephano ad Terbelin Bulgarorum Principem misso auxilium ab eo ad recuperandum ... Imperium flagitat et:

(x) Cedrenus vocatur fabulator: apud Hiltingum invita a Stephani S. VI. Cedrenus vero, qui anilium fabularum Scriptor, et veri incuriosus merito vocatur a Lipsio apud Baudrand citatum. — ⊕

De Cedreno etiam dicitur exscripsisse Curopalatis Historiam — Curopalates scripsit seculo IX. ut Cedrenus. ⊕ quique Curopalatam descripsit, nomina liberius expressit, quam verius. Curopalates autem ipse quantae authoritatis esse possit, si Cedrenus, Anilium fabularum sit scriptor, collige ex utriusque consonan„tia: Cedreno male consonat Zonaras cum Cedreno ergo et hic fabulator.

Nihil horum

NB: Daras urbs vel est ad fluvium Dara Carmaniae in Persia Ptolomaeo teste, quae a Plinio Daras dicitur, nuncque Drat dici creditur a quibusdam. Baudrand.
~~Vel~~ Vel: Dara urbs Episcopalis Mesopotamiae in limite Persiae ab Anastasio Imperatore ex vico urbs facta, et Anastasiopolis etiam dicta vix 2 mill. a Corde fluvio, et Nisibi, Amodio que vicina teste Procopio, et a Justiniano restaurata. Baudrand.
vide etiam Baudrandum sub voce Carmania

Phanagoria: urbs fuit Sarmatiae Asiaticae Straboni et Ptolomaeo ad Corocondamum lacum et prope Bosphorum Cimerium vix aliquot Milliaribus a Corocondama urbe in Septentrionem in eo Tractu, ubi alias Bosphorani Populi, et nunc Circassij. Sed quid sit hodie non constat Corocondama enim est Taman, et Pantica„peum Vospero, a quo 15 mill passuum distat in ortum, ubi 70 mill. passuum a Theodosia in ortum aestivum. Baudrand. vide Corocondame Baudrand.

Symbolum: portus Tauricae chersonesi, Arriano, Straboni, et Plinio, qui a Strabonis interpretibus Sactorum portus dicitur prope Eupatoriam Urbem ad fauces Sinus Carcinitis, et Chersonum Urbem nunc Sibula dictus teste Mercatore. Baudrand.

De Phanogoria et urbe Comana habet Procopius Cap. V. lib. IV. de Bello Gothico. Murat. Tom. I.

post hæc narrat: Justinianus ita Imperio recuperato Patriarcha urbis Calinicho — Justinianus recepto Imperio potitus est per annos sex . . . . et postquam narrasset interfectum Apsimarum, multosque cives subjungit.

Misit etiam classem ad revocandam è Chazaria uxorem de qua multæ naves una cum vectoribus perierunt, quod cum intellexisset Chaganus, hæc ad eum mandare (jussit) fatue, nonne duabus, tribusve navibus missis uxorem tuam recipere poteras, tantæque multitudinis exitio cavere? num tunc quoque bello te recipere putas? en et filius tibi natus est, mitte, qui eos traducant; misit ergo Justinianus ~~adduct~~ adductum Theodoram, et filium ejus Tyberium, atque utrique coronam imposuit.

Post nonnulla pag. 352. Chersonitæ rebelles Justinianus Galos narrat, eorumque Principes crudeliter à Justiniano trucidatos; et :::: quod cum intellexissent (Chersonitæ) qui castra ista obtinebant, munierunt sese, missisque in Chazariam ad Chaganum legatis præsidium sibi ab eo dari flagitarunt. cum appulisset Justiniani classis, primores eorum nacti intra castra Chersonenses trucidarunt, reliquam multitudinem Chazaris tradiderunt, proinde, qui Chersonem, et reliqua castra tenebant Justiniano Imperium abrogant, et Philippicum, cui et Bardanes nomen fuit, Imperatorem faustis acclamationibus designant. Justinianus hoc percepto aliam classem mittit, arietibus, aliisque ad oppugnationes facientibus machinis instructam; cujus milites, cum jam potiores Chersonis turres prostravissent, à supervenientibus Chazaris sunt repressi. Bardanes fuga ad Chaganum evasit, sed et classiarii re infecta, cum ad Justinianum redire non auderent, nota ipsis hominis immani crudelitate, Justiniano imperium abrogant, Bardanem Imperatorem nominant, eumque à Chagano repetunt, ~~at~~: Qui cum postularet sibi de non ~~reddendo~~ prodendo ab ipsis Philippico caveri, et à singulis unum nomisma pendi, milites pecunia statim depensa, Bardanem Philippicum recipere, Imperatoremque salutarunt.

Idem pag. 360. sub Leone Iconomacho, cujus filius Constantinus Copronymus — . . . Anno XVI. (Leonis) Leo filiam Chagani Scytharum Principis filio suo Constantino uxorem duxit, eumque Xtianam eam fecisset, Irenamque nominasset ea sacris litteris studiose cognitis, illustris pietate fuit, refutavitque à Deo alienam Impietatem

---

NB in Cedreno: :NB: Nicephorus idem de Turcis ex Cedreno ad verbum.

De ~~Patzinacis~~ orientalibus, fuse agit Cedrenus: sub Constantino Monomacho, editionis Venetæ Muratorij Anni 1729. Tomo VIIIvi à Pag. 599 ad 606. ubi etiam ait: ut autem hanc calamitatem resarciret (Sultanus) è Turcis, Cabiris (Caboris) et Lemnitis delectum exercitum 3000 conduxit:

Item ibidem de Patzinatis à Pag. 606 ad 616 fusissimè pertractat.

Pag. 497.

Mense Julio sextæ indictionis Romanus eod Pater de filium naturæ persolvit et est in Myreleo sepultus, proinde Constantinus Porphyrogenitus omnibus quæ suspecta erant sublatis et solus jam Imperans, facto Paschalis die Romano filio suo diadema imponit, vota ~~faciente~~ faciente Theophylacto Pa„triarcha:

NB juxta calculum Indictionum: sexta indictio cadit in Annum 948. ergo Romanus fuisset coronatus Anno 949. quod est contra Catalogum Byzantinum Tomo XVIII insertum, ubi ponitur coronatus Romanus Anno 946. die paschatis. hinc in Cedreno loco sextæ Indictionis esse deberet tertiæ. (nam Γ' (3) facile confundi potuit cum ς' (6)

V.

Ex Porphyrogeneta.

Cap. XIII.

Nam quidam Imperator, Leo is vocabatur, qui etiam
ex Chazaria uxorem duxerat---
item eodem capite:

No. 45.

Iste supra memoratus Leo A.---- ubi semel
DEI, legumque divinarum metum omnem excusserat
cum Chazariæ ~~Chagano~~ Chagano matrimonialem
contractum inststuit, filiamque ipsius uxorem accepit

†

Turcas populos jam nominat Plin. II.
Naturali Hist. lib. VI. N= 46.
Dein Tanaim amnem gemino ore influentem (in Maeotin) incolunt Sarmatae &c: Turcae usque ad solitudines saltuosis convallibus asperas, ultra quas Arimphaei, qui ad Rhiphaeos pertinent montes. Tanaim ipsum Scythae Silin vocant, Maeotin, Temerinda, quod significat Matrem Maris. —

Libro VI.

XII Ab his sunt portae Caucasiae, magno errore multis Caspiae dictae, ingens naturae opus, montibus interruptis repente; ubi fores obditae ferratis trabibus, subter medias amne, diri odoris fluente; citraque in rupe castello (quod vocatur Cumania) communito ad arcendas transitu gentes innumeras. ibi loci terrarum orbe portis discluso, ex adverso maxime Harmastis oppidi Iberum. A portis Caucasijs per montes Gordyaeos, Valli, Suarni indomitae gentes, auri tamen metalla fodiunt, ab ijs ad Pontum usque Heniochorum plura genera mox Achaeorum. Ita se habet terrarum sinus è clarissimis.
c A portis Caucasijs ad Pontum (Euxinum) CC Mill. passuum esse constat fere —

8.

Libro VI.

XVIII.

(inquit)
XVIII. a Caspijs ad orientem versus Regio est —
Ab hujus (urbis Zotale, quae et Antiochia) excelsis per juga Caucasi protenditur ad Bactros usque gens Mardorum, fera, sui juris. Ab eo tractu gentes Ochani, Chomani, Berdrigei, Harmatotrophi, Bomarei, *Comani / Maracei etc:

Notae: * Comani. idem atque Κωμοὶ Ptolomaei loco citato, et Melae Comari, Nisi forte Thomanij Salmasius legi fuerit Θωμάνιοι, quos Herodotus lib III Thalia, num. 117 cum Chorasmijs, Hircanisque jungit. forte haec Κωμάνια Xenophontis est libr. VIII Expeditionis Cyri pag. 426.

N: B:

De Chazaris nihil.
Nihil de urbe Chelandia in Bosphoro —

Notae ~~Lund~~ et Interpretatio
Harduini — Titulus

Caij Plinij Secundi Historiae naturalis libri XXXVII quos interpretatione et notis illustravit, Joannes Harduinus e S. J. Jussu Regis christianissimi Ludovici magni, in usum Serenissimi Delphini — editio altera emendatior, et auctior. Parisijs, 1723.